



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

108. Reijcitur Marcellinus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

de in iure coniugij perseuerasse. Quæ sententia confirmari potest primo, quod moriente Pipino ipsius thesauros obtinuerit, seruauerit: quod Theobaldum nepotem Maiorem domus crearit, aut in eo confirmare & stabilire conata sit, cum eo Principatum vsurparit: quod Martellum priuignum carceri manciparit, bella pro nepote gesserit, quomodo hæc valeret Pletrudis aut ausa fuisset mulier abiecta & 28. fere annis repudiata? quomodo hæc non deuenissent potius ad Alpaidem, si rot annis Pipino cohabitasset, in compossessione omnium iurium fuisset? Ad reliqua discutienda sit

## DISSERTATIO CVIII.

## Reijcitur Marcellinus.



Vdiuimus intonantem Marcellinum non S. Marcellinum: *Ne illustres legitimos suos filios Drogonem Ducem Campania, Grimoaldum Maiorem domus Childeberti Regis Francia, exheredaret, heredem scribendo Carolum Martellum illegitimum &c.*

Sub ærato mendosum tinnit auro. Eundem semper obtinet Marcellinus, scilicet filios Pipini Drogonem & Grimoaldum patri morienti superstites esse, pro ijs Pletrudem intercedere. Hoc præ se ferunt & volunt verba textus; Quomodo enim aliàs hæredes inscribi vel exscribi possent? sicut etiam clarissimus Baronius ad annum 698. ex hoc eodem textu intelligit Drogonem patri superesse contra Sigebertum cōtrarium asserentem. Sed omnino extra verum est Drogonem & Grimoaldum

Grimoaldum patre obeunte in viuis fuisse, aut pro ijs Ple-  
 &trudem apud Pipinum morientem interpellasse. Est con-  
 tra testatam omnium Classicorum tam veterum quam re-  
 centium scriptorum authoritatem, qui omnes vel contra-  
 rium expresse asserunt, vel clarissime insinuant & suppo-  
 nunt. Vt Sigebertus qui obitum Drogonis statuit anno  
 699. Trithemius in compendio, Iacobus Bergomas, Chro-  
 nicum Leodiense in vita S. Lamberti, Iohannes Leij-  
 densis lib. 2. hist. cap. 17. Ianus Doufa lib. Annal. Hollan.  
 Nauclerus ad annum Christi 715. Petrus Louuius anno-  
 ratio. ad Molani militiã sacrã cap. 10. Amandus zirczæus  
 in Chronica. Sic Chronicum quoddam Franciã anony-  
 mum compositum circa annum 1470. editum Parisijs  
 1548. perhibet Grimoaldum anno 713. Leodij ante aras  
 S. Lamberti à quodam Frisio gregario milite trucidat-  
 um. Item anno 699. Grimoaldum loco Patris Præfe-  
 ctum aulæ constitutum insinuans Drogonem eo anno de-  
 fuisse, cum alioquin ad illum tanquã maiorem natu deue-  
 nisset. Adrianus Barlandus de Pipini prolibus hæc : *Ple-  
 &trudis mulier vita sanctimonia insignis huic vxor data est. Ma-  
 trimonij vinculo sic iuncti, ac velut concatenati, bonorum omnium  
 radici Concordia nihil preferendum existimantes, omnia sic ege-  
 runt, vt pax inter eos & tranquillitas esset. Hanc pacem id boni  
 secutum, vt ex eo coniugio digna parente sit edita proles: filij tres,  
 Drogo & Grimoaldus, qui quum Christi esset forus adsertor Dei, po-  
 stea Leodij Martyrium adiit ob Christi fidem, ibi sepultus in aede Di-  
 uo Iacobo sacra. Filius tertius fuit Siluius, vir pientissimus, qui  
 & ipse Sancti appellationem meruit. Filia Noiburgis vocata est. Se-  
 pulcro illata Colonia, miraculis claruit, qua res vita innocenter a-  
 cta euidens est iudicium. Omnium ex coniuge Ple&trude liberorum  
 funera vidit Pipinus.* Sic Barl. Sanè ea quæ in gratiam The-  
 baldi nepotis gessit Ple&trudis decedente Pipino, bella ex-

orta pro maioratu, Magistratus Theobaldi ante Pipini obitum, satis indicant Drogonem & Grimoaldum inter mortales antea deliſſe, cum ad eos alioquin ſpectaſſent, nec Mater præteritis filijs pro nepote laboraſſet. Quod autem Baronius de Grimoaldo ſilens Drogonem patri ſurvixiſſe intelligat, vel potius dubitet, hauſit ex ſolo præſenti textu (cui bona fide innititur) Marcellini. Aliqui recentiores eodem ſcipione ambulant. Aſt is quantæ fidei, quam firmus ſit, ex decurſu huiuſce noſtri tractatus quivis æſtimare valet. Hinc eluitur macula quæ à perſonato Marcellino hîc Pipino inurit, ſcilicet ſuos legitimos & ſeniores filios poſtpoſuiſſe Carolo ex Alpai de pellice nato. Alienum hoc fuit à ſenſu Pipini qui vt ſuperius diximus Drogonē & Grimoaldum dum inter viuos eſſent præ Carolo honoribus & diuitijs cumularat: Drogonem Ducatu Campaniæ, Grimoaldum maioratu domus Franciæ, ſumma dignitate. In nepotes etiam tranſijt amor dum interempto Grimoaldo in Maiorem domus ordinaret non longè ante mortem Theobaldum nepotem filium Drogonis defuncti poſtponens Carolum.

In mentem mihi venit S. Swibertum duas obiuiſſe legationes ad Pipinum. Primam inter annum 695. & 701. aut 702., (quo ſpatio in aula Childeberti Regis degebant Drogo & Grimoaldus,) ne iam nato Martello ex Alpai de cohabitante illi (quod verebatur repudiata Plectrudis) ab hæreditate excluderentur. Secundam circa obitum Pipini conſolationis & pij officij ergo, & apparenter ne Martellus teſtamento Maior domus ſcriberetur neglecto Theobaldo filio legitimi Drogonis. Has Marcellinum imperitè, obſcurè & inordinatè confudiſſe.